

Klausur zum universitätsinternen Großen Latinum (*de off. I, 122 f.*)

- Ende Wintersemester 2006/07 -

Cicero stellt die verschiedenen Lebensalter dar, aus denen unterschiedliche Ansprüche und Anforderungen erwachsen. Die Pflichten der Jugend sind klar von denen des Alters zu unterscheiden.

Et quoniam officia non eadem disparibus aetatibus tribuuntur aliaque sunt iuvenum, alia seniorum, aliquid etiam de hac distinctione dicendum est. Est igitur adolescentis¹ maiores natu vereri exque iis deligere optimos et probatissimos, quorum consilio atque auctoritate nitatur; ineuntis enim aetatis inscitia senum constituenda² et regenda prudentia est. Maxime autem haec aetas a libidinibus arcenda est exercendaque in labore patientiaque et animi et corporis, ut eorum³ et in bellicis et civilibus officiis vigeat⁴ industria. Atque etiam cum relaxare animos et dare se iucunditati volent, caveant intemperantiam, meminerint verecundiae, quod erit facilius, si ne in eiusmodi quidem rebus maiores natu nolint interesse⁵. Senibus autem labores corporis minuendi, exercitationes animi etiam augendae videntur, danda vero opera, ut et amicos et iuventutem et maxime rem publicam consilio et prudentia quam plurimum adiuvent. Nihil autem magis cavendum est senectuti quam ne languori se desidiaequae dedat; luxuria vero cum omni aetati turpis, tum senectuti foedissima est. Sin autem etiam libidinum intemperantia⁶ accessit, duplex malum est, quod et ipsa senectus dedecus concipit et facit adolescentium impudentiorem intemperantiam. Ac ne illud quidem alienum est, de magistratuum, de privatorum (...) officiis dicere.

¹ *adolescentis*: beachten Sie den Fall in Verbindung mit *est*

² *constituere*: hier: ordnen

³ *eorum* = *adolescentium*

⁴ *vigere*: sich kräftig regen

⁵ *ne ... quidem ... nolint interesse*: übersetzen Sie als „auch ... gerne teilnehmen lassen“

⁶ *intemperantia* mit Genitiv: Unmäßigkeit in ...